

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Gratitudo siue graciaram actio ac
cum fonte primo

Credamus itaque nil esse grato animo honestius;
omnes hoc urbes, omnes eciam ex barbaris regionibus gentes conclamabunt.

In omni iudiciorum diuersitate referendam bene merentibus graciaram omnes uno
ore affirmabunt. In hiis discors turba consenciet.

Seneca ibidem (LXXXIII. epistola).

Sed quemadmodum illa credidimus, sic et hoc eidem populo credamus,
nihil esse grato animo honestius;
omnes hoc urbes, omnes etiam ex barbaris regionibus gentes conclamabunt;
in hoc bonis malisque conveniet.
Erunt qui voluptates laudent, erunt qui labores malint;
erunt qui dolorem maximum malum dicant, erunt qui ne malum quidem appellent;
divitias aliquis ad summum bonum admittet, alius illas dicet malo vitae humanae repertas,
nihil esse eo locupletius cui quod donet fortuna non invenit:
in tanta iudiciorum diuersitate referendam bene merentibus graciaram omnes tibi uno,
quod aiunt, ore affirmabunt. In hoc tam discors turba consentiet,
cum interim iniurias pro beneficiis reddimus, et prima causa est cur quis ingratus sit si satis
gratus esse non potuit.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium epistulae morales*, 81.30-31 (L. Reynolds ed., vol.1,
pp.270-1, ll.25-29, 1-9).